



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi**

**Johannes <Climacus>**

**Coloniae, 1583**

**VD16 J 520**

Relatio de sene quodam simplice, qui cum Sacramentum offeret, Angelos videbat. Capvt CXCIC.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

& plerique ad baptismum mortis timore confugerent, apparuerit Angelus humana specie dicens: Quoad huc mittitis marsupia ista, signata quidem, inania autem profusa, & vacua, & nihil intus habentia? Erunt itaque, quantum ex Angeli voce conijcere licet, signum habentes baptismi, quoniam & beneficium aliquod existimauerunt se consequi, si baptismum susciperent, atque ideo baptisati sunt.

*Relatio de senes quodam simplice, qui cum Sacramento offerret, Angelos videbat.*

## CAPVT CXCI X.

**N**arrauit quidam patrum quod senex quidam mundus, & sanctus existens, cum offerret <sup>1</sup> sacramentum, videbat Angelos sibi dextra, leuamque assistentes. Porro hic ab hæreticis consecrationis ritum perceperat, & veluti simplex, & rudis diuinorum dogmatum, quando offerrebat, in simplicitate, & innocentia dicebat quæ non dicebant secundum rectam fidem, ignorans, quod falleretur. Per diuinam igitur dispensationem perrexit ad eum Diaconus quidam peritissimus diuinorum dogmatum. Contigit autem sanctum senem, præsentem illo, sacrificium <sup>2</sup> offerre. Dixit autem ei Diaconus: Verba, quæ in offerendo dixisti, rectæ fidei non sunt, sed hæreticorum, & paruæ opinionis hominum. Senex autem confidens, quoniam videbat Angelos dum offerrebat, non intendit his, quæ dicebantur à Diacono, sed contempsit. Diaconus autem persistebat dicens, Falleris Abba. Non enim admittit fides Catholica ista, quæ dicis, neque mater Ecclesia. Cùm autem videret Diaconi constantiam in se arguendo senex, atque in oblatine salutari. Angelos, ut consueuerat intueatur, ait eis: Diaconus iste mihi hæc, & ista dicit:

Quomodo se habet veritas: Dicunt ei Angeli: Au-  
sculta ei nam vera loquitur, & recte ista profe-  
quitur. Dixit autem eis senex: Quare vos non di-  
xistis mihi: Dixerunt autem illi angeli: Deus ita  
disposuit, vt homines ab hominibus corrigantur.

1 *Aduerte hunc simplicem patrem potius ex Dei miseri-*  
*cordia, quam ex vi illorum verborum sacram Eucha-*  
*ristiam confecisse, si illa formam corrumpabant.*

2 *Offerre sacrificium, Missam celebrare intelligi.*

*Quomodo iuuenis aurifex à viro Patricio sit in*  
*filium adaptatus.*

## C A P V T C C.

**N**arrauit nobis quidam sanctorum patrū,  
quod iuuenis quidam ingeniosus se ad au-  
rificem pro discenda arte contulerit, quā-  
dum solerter addiceret, vnus ex patricijs iniunxit  
eis, vt Crucem auream lapidibus pretiosis orna-  
tam facerent, quo illam Ecclesiæ offerret. Et quo-  
niam valde ingeniosus erat adulescens, iniunxit  
illi magister eius id opus. Cœpit ergo adulescens  
cogitare intra se, ac dicere: Si iste tantas offert pe-  
cunias Christo, cur non & ego mercedem meam  
in istam Crucem conferam, vt eam mihi, tanquā  
duo minuta viduæ, computet Christus? Cogitans  
igitur quantum mercedis esset accepturus, mu-  
tuatur id, & in Crucem mittit. Veniens itaq; Patricius  
eius ponderat Crucem, priusquā in illa lapides in-  
cluderentur, inuenitq; plus habere ponderis, quā  
constituerat. Cœpit itaq; minitans virgere adules-  
centem, quasi fraudem fecisset, aurumq; adulte-  
rasset. Tunc ait illi adulescens: Nouit ille, qui sol-  
cordium scrutatur arcana, quia nihil tale feci. Sed  
cūm viderem te tantum pecuniarū Christo Do-  
mino obtulisse, cogitavi immittere mercedem  
meam.